

Auctor aliudem, & fieri sub Hispania 83, non
Habita est, enim illa Hispania non
alibi non sicut in Hispania 83, non
Universitas, cuiusvis est in Hispania 83
etiam ad eiusdem scilicet Hispaniae 83, non
Habita est, sed in Hispania 83, non
ad eiusdem scilicet Hispaniae 83, non

FRATRI OPTIMO
HENRICO CHRISTIANO CRELLIO,
MAGISTRI HONORES

GRATULATUR
CHRISTOPHORUS LUDOVICUS CRELLIUS.



Kapsel 78 N 12 [97]

AN



F

Rater, & ð quicquid dulce est, & amabile fertur,
Frater, & ð si quid suavius, une mihi!
Frater, & ð quicquid vita est roburque medullis,
Et si quid vita charius, une mihi!
Frater, & ð quicquid sociata columba columbae est,
Atque illis si quid junctius, une mihi!
Frater, & ð quicquid mollis cantantibus umbra,
Atque umbra si quid mollius, une mihi!
Frater, & ð nostræ dulcissima portio vita,
Accipe cum modulis & mea corda meis.
Ito, vola facili saliens in corpore sanguis,
Et coque lœtitiae gaudia mille meæ.
Ite igitur, properate agiles, turgescite venæ,
Ite, atque ingenium mentis habete meæ.
Ite, novumque mea hæc agitate per offæ calorem;
Atque date in numeros mollia verba meos.
Membra teperit, aliquisque pios animavit amores
Verfavitque aliquis pectora nostra Deus.
Mille agitat plausus TIBI, milleque parturit intus
Carmina, mille modos ingeniosus amor.
Nititur, atque animos quatit, atque per omnia verfat
Arduus, innumeris præcipitatque viis.
Dumque cupit, partesque ruit diffusus in omnes,
Errat, & ingenio frangitur ipse suo.
Nec patitur numeros atque artis vincula rumpit,
Et negat alterno serpere posse pede.
Utque est ingenuus, phaleras & verba recusat
Candidus, & linguae simplicis esse cupit.
Sic etiam teneræ pia plaudunt turba palumbes,
Et focio pandunt guttura lœta fono,
Si fortunatis super æquora rendere pennis
Altera, & in tuto cernitur esse loco,

Jamque sedet dulcesque parat componere nidos.
Et patriam & parvum gaudet habere larem.
Et gemit, expanditque alas & ad oscula poscit
Sollicito focias murmure blanda suas;
Subsiliunt illæ & tenero pia colla susurro.
Inflent, facilem sœpe precata domum.
Urque fatigatæ si stant in littore puppes,
Atque per infidas ire verentur aquas,
Si videt una viam, & ponto spatiatur aperto,
Creditur & portum tangere posse suum;
Ite Deos faciles, ite, æquor habete secundum
Clamat in incertis nauta relicitus aquis.
Et cymbas etiam ipse suas sua rostra coronat,
Et ponit zephyris pinguis thura suis.
Conclamat socios, & littora longa fatigat,
Atque petit ratibus talia fata suis.
Tunc placidi fluctus, sensimque accedere ripæ
Creduntur. Facili mollior unda mari est.
Ipse sibi portu mente anticipante potiri,
Et superasse feras ipse videtur aquas.
Sic me tangit amor, titulique hæc præmia, nidum,
Littora, suffugium sic precor esse TIBI.
Sentio TE, tanguntque meas TUA fata medullas,
Creditur occultas sanguis habere faces.
Est aliquid cognatus amor, sic fistra feruntur
Hæc modo quem dederant, illa referre sonum.
Dumque sui funus fratri lacrymantur, amore
Sic Phaëthoniades diriguere suo.
Colligit Antigone moribundi funera fratri,
Fœmineaque subit prælia mille manu.
Illud amor potuit. Volut, quia Dido cadebat,
Se consanguineis Anna cremare rogis.
At major TUUS est cognato sanguine, mente
Quem paris atque intus, Cynthie, jungis amor,
Quem virtus, pietasque facit, constantia firmat,
Integritas servat, simplicitasque regit.
Ille stat, atque manet, veluti TUA vivere laurus
Perpetuamque, precor, discet habere comam.

O quoties TECUM viridi prostratus in umbra
Sollicita tetigi nubila blanda manu?
O quoties tremulae per amica silentia lunae
Junximus impelli carmina mille lyra!
O quoties, si quid tenuis mihi Phœbus opellæ
Credidit, ad tacitas sedimus ambo fores,
Attentisque aliquid fesi cantavimus astris,
Vifaque sunt socios astra probare sonos.
Tityrus ut cecinit quondam, simplexque Palæmon,
Et faciles dixit rustica Musa Deos.
Interdumque TUIS flentes Philomela querelis
Addidimus querulis tristia verba modis.
Sæpe etiam vani ingenium derisimus ævi,
Illa fuit nostro semita spreta pedi.
Jam tempus celerare fugam, jam vertere cursum
Diximus, & patriam quærere velle novam,
Sæpius illa Parens nobis cantarat &: Ite,
Aufugite hinc, alia, juss'erat, ite via,
Tyndaridae alternis quærebant astra lacertis,
Jungebant socias ad sua fata manus,
Confociate animos, sint vobis sydera virtus,
Sic vestri poterunt astra tenere pedes.
Tunc quoties circum ad numeros & verba Parentis
Hæsimus attonita párvula turba lyra.
Sæpius & numeros patrios in arundine Patris
Reddidimus, socio contulimusque sono.
I nunc, quodque Pater monstrabat, itinere perge!
Mollior est alio jam pede pressa via.
Ito, cape ingenuæ dulcisima præmia mentis;
Atque viam & faciles, frater, habeto Deos.
Frater, & ô quicquid dulce est & amabile fertur,
Frater, & ô si quid suavius, tunc mihi!

LIPSIAE,
LITERIS IMMANUELIS TITI

FRATRI OPTIMO
HENRICO CHRISTIANO CRELLIO,
MAGISTRI HONORES

GRATULATUR
CHRISTOPHORUS LUDOVICUS CRELLIUS.

Farbkarte #13

B.I.G.

